



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena**

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,  
doctrina excutitur, scripta recensentur

**Origenes**

**Rothomagi, 1668**

VII. Interpretatio Ebraicorum nominum Novi Testamenti,

**urn:nbn:de:hbz:466:1-25059**

A duxerat, quæ Susanna casum narrat. Extat denique Dialogus De recta in Deum fide, qui & contra Marcionitas inscribitur; sed spurius, & suppositus, ut infra demonstrabimus.

VI. Epistolas Origenis quotquot erat nactus, à se fuisse collectas, & in proprios libros digestas tradit Eusebius; numero autem fuisse illas pluraquam centum. Conscientissimus quippe literarum Origenes fuit. Librum collectionis hujus quartum citat Rufinus in libello De adulterat. libror. Orig. Ex hoc Epistolarum Syntagmate illas ab Eusebio commemoratas reperio: prima est ad Leonidem martyrio proximum: alteram scripsit Origenes adversus eos qui suum in literas humaniores studium eriminabantur: proxima diversarum Epistolarum commemoratio est, in quibus indicatur Persecutionis sextæ tempus, quarum tamen inscriptiones & titulos sigillatim Eusebius non persequitur: tum mentio fit Epistolæ ad Africanum de Susanna historia: laudatur deinde Epistola ad Philippum Imperatorem, alia ad conjugem ipsius Severam, alia ad Fabianum Papam, alia ad alios complures Episcopos, quibus fidei professio continebatur; & diversa denique distincte non notata: postmodum plurimæ citantur Epistolæ, quæ declarabant quam utiles iis sermones reliquisset, qui solatio in cruciatibus indigebant. Hæc Eusebius. Testatur Hieronymus suæ ætate superfuisse Origenis Epistolas ad Philippum, ipsiusque matrem; cum Eusebius è quo hunc librum Hieronymus confarcinavit, habeat, & *ὁ λόγος γαυρῶν, conjugem ipsius*. Idem scribit de literis Origenis ad Beryllum Bostrensem Episcopum Hieronymus. Rufinus quoque in libello De adulter. libror. Orig. testimonio utitur ex Epistola ab Origene ad amicos quosdam suos Alexandrinos scripta: & alteram laudat præterea ejusdem argumenti.

C Epistola ejusdem ad Gregorium Thaumaturgum decimum tertium Philocalia caput continetur. Partem denique Epistolæ cujusdam Adamantij proferunt Cedrenus, & Suidas.

VII. Aliarum præterea quarundam scriptionum Origenis mentionem apud Veteres invenio. Philo Judæus ediderat librum Ebraicorum nominum Veteris Testamenti, eorumque etymologias & interpretationes adjecerat: quem librum Latina oratione Hieronymus expressit. Quod in Testamento Veteri fecerat Philo, idem in Novo fecit Origenes, suumque opus ad opus Philonis adjunxit; in eoque Hieronymum imitatore habuit: cujus verba hæc sunt in Præfat. ad librum Ebraic. nomin. *Ac ne forte consummato officio quasi extrema deesset manus, Novi Testamenti verba & nomina interpretatus sum, imitari volens ex parte Origenem; quem post Apostolos Ecclesiarum magistrum nemo nisi imperitus negat. Inter cætera enim ingenij sui præclara monumenta etiam in hoc laboravit, ut quod Philo quasi Judæus miserat, hic ut Christianus impletet. Libri ejusdem meminit Auctor Questionum ad Orthodoxos, quibus tribuitur Iustino, Quæst. 82, & 86. in eoque præter Ebraica nomina, mensuras etiam interpretatas esse docet. Videat ergo Rufinus qua fide scripserit Invect. 2. in Hieronym. ne unum quidem Scripturæ verbum Origenem vertisse.*

VIII. Librum De oratione emisisse Origenem memoria prodidit Pamphilus in Apologetico: *Denique, inquit, in tam multis, & tam diversis ejus (Origenis) libris nusquam omnino invenitur unus ab eo liber propriè De anima conscriptus, sicut habet vel De martyrio, vel De oratione, vel De resurrectione. Quo licet careremus testimonio, ipsum opus quod ad hanc diem superest, per se innotesceret.*

E IX. Theodoretus in libris Hæreticarum Fabularum Origenem sæpe allegat, & libros ipsius in testimonium adducit. Libro quidem priore, cap. 2, scripsisse eum ait adversus Menandrum Hæreticum; & capite 4, adversus Basilidem & Ilidorum; & capite 7, adversus Helcesaitas; & capite 19, adversus Hermogenem & Valentinum; & capite 21, adversus Severum; & capite 25, adversus Apellem: & libro 2. capite 2, adversus hæresim Nazaræorum; & libro 3. capite 1, adversus Nicolaitas. Libro vero secundo, capite 5, tradit Origeni tribuere nonnullos Parvum Labyrinthum, qui liber adversus Theodotum Hæreticum scriptus est. Nicephorus quoque libro 10. cap. 36, Origenem testatur scriptis libellis luculenter refellisse Marcellum Galatam, & Porphyrium; ipsique libris id assequi conatum esse, ut obscuri & intricati Scripturæ loci, quibus abuti solebant Hæretici, ad verum sensum desisterentur. Non equidem crediderim totidem libros confutandis Hæreticis emisisse Origenem, quot Hæreticos ab eo confutatos narrat Theodoretus; sed plurimos ex illis in alterius argumenti scriptionibus obiter ab Origene perstrictos existimo; quemadmodum Heraclionem in Commentariis in Iohannem sæpe ab eo sigillatim videmus, & ubique fere Valentinum, Basilidem, & Marcionem. At aliquos tamen adversus Hæreticos & Ethnicos quosdam ex instituto edidisse certum est; qualis est liber contra Celsum; qualis fuit Parvus ille Labyrinthus adversus Theodotum, si modo Origenem auctorem habuit; qualis fuit Lucubratio adversus Helcesaitas, quos peculiari opere convictos fuisse verisimile est.

X. Hieronymus apud Rufinum Invect. 2. indicem librorum Origenis pertextens, sic disserit: *Pulsis noscere quænam ingenij sui reliquerit monumenta? Sequens titulus ostendit: Scripsi in*